Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 197
Quelle:
Copyright:

tollitur, nam etiam *uni* ad *decades* referri potest. Rem evictam daret *unum*, quo nil intelligi posset, nisi annus adjunctus ad *mille trecentos et quatuor decades*.

CXXVIII.

U. 20 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 157. f. per duas columnas charactere luculento, crasso perscriptus, et rubricis distinctus hanc Notam praefert: *Hos quinque libros postillarum Nicolai de lyra dedit ad librariam Domus huius Egregius decretorum doctor Dominus leonardus Schawr Officialis Curie Patav. Orate pro eo.* 1410. Rectoratum Academicum gessit Vir hic a. 1394. obiitque Canonicus Eccl. *Ratisb. Patav. Brix.* et Plebanus in *Laa* a. 1411. ut ejus Epitaphium in Carthusia *Mauerbac.* relatum a *J. Jos. Lochero* in *Speculo Acad.* p. 396. testatur. Per *quinque Libros* totidem Volumina intelligenda fuisse, quorum *quatuor* deperierunt, inde liquet, quod Codex noster non *quinque*, sed plures Libros contineat *Postillarum*. Insunt enim: In *Josue*, in *Judices*, in *Machabaeos*, in *Tobiam*, in *Judith*, in *Esther*, in *Sapientiam*, in *Ecclesiasticum*, suis singuli clausulis subnotati, quarum postrema: *Explicit postilla super ecclesiasticum. Edita a fratre Nicholao de lyra de ordine fratrum minorum. Sacre theologie doctore. Anno domini Millesimo trecentesimo. XXXI°.* qui annus quamvis non descriptionem, sed absolutionem Operis respiciat, ipsa tamen etiam descriptio non procul ab eo abfuerit. *Postillae* ipsae saepenumero cum seorsim, tum in Bibliis glossatis typo excusae prostant.

CXXIX.

Codex partim chartaceus, partim membraneus lat. Sec. XV. U. 33 Folior. 316. f. per duas columnas bene scriptus, rubricis enotatus, et, ut anterior Theca praefatur, Collegio ducali *Vien.* legatus a saepe memorato *M. Thoma Ebendorfer de Haselbach* continet: I. *Hugonis de S. Caro* ex Ord. Praed. Cardinalis *Postilla in IV. Libros Regum, Paralipomena, II. Esdrae, Tobiam, Judith, Esther*, tum *Josue*; omnia, prout extant Edit. *Lugd.* 1645. T. I. f.

II. *fol.* 233. p. 2. sequitur *Expositio domini Stephani Cantuariensis super Josue.* Item *super Judicum*, et *super Ruth. Stephanus* hic *Langtonus* est *Anglus*, sed *Parisiis* scientiis egregie excultus, et sacris dignitatibus ornatus, tandemque non sine turbis et difficultatibus ad *Angliae* Primatum et Purpuram *Rom.* eluctatus, demum defunctus a. 1228. De eo, et copiosis ejus Scriptis, quorum perpauca typis vulgata sunt, *Ciaconius* in *Vit. Pontiff.* T. II. p. 31. *Oudinus* T. II. *col.* 1695. *Caveus Vol.* II. p. 281. *Tannerus Bibl. Brit. Hib.* p. 466 atque hic triplici *Expositioni* nostrae, extra *Angliam* satis rarae alia adsignat initia, quam quidem in *Codice* nostro habet, unde concludo, initia illa *Prooemiorum* esse, quibus Librarius noster caruit; incipit enim